


18


Knebel

18  
1844

9du

49 (1844)









DE  
**SIGNO EBURNEO NUPER EFFOSSO**  
**COMMENTATIO.**


---

**AD INDICENDA EXAMINA AUCTUMNALIA A. MDCCCXLIV**


SCRIPSIT

**Herr. Knebel, Dr.**

GYMNASII DUISBURGENSIS DIRECTOR.



---



---

**Duisburgi ad Rh.**

TYPIS C. H. SCHMACHTENBERG.

S. Pr. 18.



10.12.39.

## DE MEMORABILI SIGNO EBURNEO NUPER EFFOSSO.

---

Constat inter omnes antiquitatis vere studiosos, neminem ad plenam ac perfectam veterum temporum notitiam pervenire posse, nisi artis veterum monumentis cognitis ac perspectis. Nam, ut hoc unum afferam, qui in veterum literarum thesauris omnem operam ponunt, alteram modo partem totius cultus et eruditionis priscorum ingeniorum animo percipiunt, hac quidem in re non dissimiles ei, qui nummi alicujus adversa parte inspecta, neglecta posteriore, totum se illud nomisma nosse sibi persuaderet. Ac ne illam quidem partem ex libris, quos temporum iniquitas ad hanc aetatem passa est durare, penitus perspectam habere possunt; etenim innumerabiles sunt veterum scriptorum et poetarum loci, quorum vis ei demum patebit, qui in pretiosissimis illis artificum veterum operibus perstrandis nonnihil certe studii collocaverit. Quot autem sunt Graecorum et Romanorum instituta, quibus his solum adminiculis aliqua lux affertur, quot denique res scitu dignissimae, quarum omnis scientia ex his venerandae vetustatis reliquiis nobis sit haurienda! Quare summo opere laudandus est vir doctissimus *Franciscus Fiedler*, gymnasii Vesaliensis decus, qui in conventu praeceptorum Rhenanorum et Guestphalorum anno superiore Tremoniae acto artis monumenta etiam in scholas introducenda et ad juvenilium ingeniorum eruditionem adhibenda summa, qua pollet, eloquentia commendaverit. <sup>1)</sup> At enim ea est gymnasiolorum nostrorum conditio, ut raro praeceptoribus, nedum discipulis, occasio detur ejusmodi operum cognoscendorum. Hinc igitur fit, ut in ingenti programmatum, quae quotannis a ludorum magistris scribuntur, numero vix unum et alterum deprehendas, quo hujuscemodi res tractetur. Quo cupidius nos hac scribendi opportunitate ita utendum censuimus, ut de egregio et memorabili opere, quod fortunae beneficio in nostras manus per-

---

<sup>1)</sup> Vid. Museum des Rheinisch-Westphälischen Schulmänner-Vereins, tom. II, fascic. 3, p. 274. ss.



venit, breviter et pro curta nostra supellectile dissereremus. Quod enim abhinc biennio ad nos perlatum est sigillum eburneum singulari artificio perfectum quum propter operum ex hac materia factorum infrequentiam, tum propter eximiam ipsius signi elegantiam dignum visum est, quod ex temporum naufragio servatum in lucem protraheretur. Sed quum hoc scripturarum scholasticarum genus non solum doctorum hominum causa edi, verum etiam discipulis tradi soleat, in argumento tractando ita erat versandum, ut non modo lectorum eruditorum ratio habita esse videretur, sed ad adolescentium quoque captum oratio nonnihil se accommodaret. Quod iudices aequi velim meminerint, si in disputatione jam-jam exordienda nonnulla exposita offendent, quibus me supersedere potuisse putent.

## I.

Tu igitur, gratiose lector, sine in mentem tibi revocari *Ausonii* prooemium suavissimi idyllii, quod inscriptum est *Mosella*; hujus enim v. 7. poeta mitiore dignus aetate

*Praetereo, ait, arenem silientibus undique terris*

*Dummissum riguasque perenni fonte Tabernas.*

Has autem *Ausonii* *Tabernas* hodie constat vicum fuisse, cui nomen *Belginum* <sup>2)</sup>, ad viam militarem, quam sollers Romanorum industria *Magontiacum* inter et *Augustam* *Trevirorum* straverat. Ejus quidem vici pauca nunc vestigia ex terra eminent, inque iis turris longe lateque conspicua, quamquam ne haec quidem satis certa offert indicia originis Romanæ. Sed solum etiam nunc rudera tanta condit, ut accolis et gratissimam et copiosissimam ædificandi materiam suppeditet. Quo in loco rusticus quidam abhinc triennium, quum lapides effoderet, murum offendit vetustate collapsum, cujus inter partes disjectas duo lapides ita corruerant, ut quasi quoddam tectum efficerent. Quo casu sane quam felice factum est, ut ab interitu defenderetur pulcherrimum signum eburneum ibi repertum, quod deinceps a rustico velut res futilis ac frivola peregrinanti cuidam dono datum et ab hoc mihi venditum est.

Est vero illud sigillum, cujus adumbrationem pari magnitudine, a *Feldmanno* collega conjunctissimo factam, huic libello adjungendam curavimus, ita compositum, ut adspiciatur vir nudus, florenti aetate, qui propero, ut videtur, gressu incedens humeris gestat juvenem pariter nudum capite sine dubio graviter vulneratum; nam laeva manu caput ita premit, ut de vulnere nemo posset dubitare, etiamsi minore arte in oris lineamenti expressa esset tam clara dolorum significatio, ut eorum acerbiteriam vel spectantes sentire videamur; gestantis autem vultus summa perfusus misericordia laboranti advertitur, quasi aegritudinem

<sup>2)</sup> Vid. praeter *Ausonii* intpp. egregia disputatio *Der Vicus Belgicum* etc. von *Chassot* v. *Florencecourt*; *Jahrb. des Vereins von Alterthumsfreunden im Rheinlande*, III, p. 43. ss.



cari capitis blanda voce solaturus. Verum enimvero non solum ex facie utriusque virtus artificis elucet, sed omnis corporum conformatio ita est ad veritatem expressa, singula membra, sicciora in majore natu, in minore contra mollia ac delicata, tanta arte perfecta, capillus et barba et nervi et venae tam diligenter elaborata, ut opus et homines ejusmodi rerum cupidos allicere, et intelligentium animos capere posse videatur. Huc accedit, quod signum non ex pluribus partibus coagmentatum, sed ex solido ebore factum tam integrum aetatem tulit, ut ne minima quidem læsio appareat, nisi quod fossoris ligone majoris hominis pedes et basis, qua eum probabile est stetisse, abscissa sunt nec reperiri potuerunt.

De origine operis vix dubitatio oboriri posse videbatur reputanti repertum illud esse in loco, qui manifesta Romani cultus vestigia retinebat, in quo identidem ad nostros usque dies nummi, vasa, lateres, lapides inscripti, denique omne genus reliquiae Romanae dominationis cruebantur <sup>3)</sup>, in quo post Germanorum incursiones, quae Romano imperio in his regionibus finem, cultus atque humanitatis monumentis exitium attulerunt, nemo mortalium habitaverat. Sed ecce! factum est, quod nunquam fieri posse putaveram. *Aemilius enim Cauer Cruccenacensis*, suavissimus olim collega et ipse eximius sculptor, cui signum nostrum, quo mirifice delectabatur, commodaveram, illud *Ernesto Foerster* Monacensi, homini artium studiis claro et in his rebus inprimis versato, ostendit. Qui primum artificium admiratus præclaram rem esse clamavit; sed antiquum sibi videri negavit: se eo inclinare, ut opus esse judicaret *Benvenuti Cellinii* Florentini, cujus etiam alia exstarent ornamenta insigni opere eburnea. Quo viri peritissimi judicio vehementer animo commotus sum; sed iterum iterumque pensitato, quid verum esset, facere non potui, quin in priore sententia perstarem. Cogitari enim nequit, quo casu factum sit, ut sæculo sextodecimo in regionem illam incultam ac derelictam tale opus deferretur; etiam minus conjectura assequimur, quo fato illud in ruinas parietinarum Romanae mansionis ingenti terrae mole coopertas conjectum sit. Quae sententia egregie firmata est amicissimi *Caueri* judicio, „sibi nihilominus signum antiquo artificio factum videri“ pronuntiantis. Novum denique, et quod solum sufficeret, firmamentum opinioni accessit, quum ex *Welckero*, Viro Clarissimo et primario Almae Rhennanae ornamento, cui ex Græco itinere reduci rem dijudicandam proposueram, fere eadem audirem <sup>4)</sup>. Pro certo igitur habeto, mi lector, tibi non falsam et ementitam venditari antiquitatem, qualem Anglis peregrinantibus passim obtrudunt nebulones Itali.

<sup>3)</sup> Vid. Chassot de Florencourt l. l.

<sup>4)</sup> Poteram etiam, si opus fuisset, adducere *Winckelmannum*, cujus haec sunt verba: „An dem Haupt ist eine kurze Stirn den Begriffen der alten Künstler von der Schönheit dergestalt eigen, dass dieselbe ein Kennzeichen ist, vielmals eine neue Arbeit von der alten zu unterscheiden. Durch eine hohe Stirn allein habe ich an manchem Kopfe, den ich nicht in der Nähe betrachten können, erkannt, dass derselbe neu ist.“ (*Winckelmann's Werke*, herausgeg. von Meyer und Schulze, B. IV, S. 168.) Adspice jam utriusque capitis frontem, ut ne hanc quidem antiquitatis notam simulacro deesse agnoscas.

## II.

„Sed late patet antiquitatis notio; diu enim fuere Graeci artifices, diu etiam Romanorum opibus artes sustentatae sunt. Quid igitur hac disputatione lucratur? Plus petimus.“ Audio, et quantum potero, desiderium explere paratus sum. Primum igitur anquirendum est, num aliqua veri similitudine (nam ultra probabilitatis rationem tendere vix licebit) demonstrari possit, quò tempore sigillum nostrum factum esse videatur. Pertinet haec quaestio ad historiam artium et videndum erit, quando similia nostro opera fabricati sint artifices Graeci vel Romani. Qua in re exploranda ut satietatem vitemus, nihil de *Homeri* aetate dicemus, quæ ebur, res et rarissima et pretiosissima, nisi ad exornanda regum arma et suppellectilem non usurpatum esse docemur <sup>5)</sup>. Apud *Hesiodum* vix uno verbo ebur commemoratur <sup>6)</sup> et ita, ut ne suspicari quidem liceat, illud alium in finem quam ad opus variandum esse assumptum. Nec de Cypseli arca <sup>7)</sup> nunc disserendi ullus locus est, quippe cujus imagunculas eburneas (*ζώδια ἐλέφαντος*) nihil nisi crustas aut emblemata fuisse ex ipsa *Pausaniae* narratione pateat.

Sed de veris signis et statuís eburneis, quæ a scriptoribus exstitisse traduntur, disputaturi novis circumfundimur tenebris. Nam recentioribus, qui in historia artium versati sunt, caeco iudicio nos confidere quum innata humanis ingeniis infirmitas vetat, tum manifesti errores, quibus ne optimi quidem immunes sunt. Etenim (ut sit *ab Jove principium*) ipse *Winckelmannus* <sup>8)</sup> in quattuor operibus, quæ praeter *Victorias Melitenses* <sup>9)</sup> ex ebore facta commemorat, etiam *Palladis simulacrum* laudat ad viam, qua *Aristonautis* *Pellenen* itur, positum; sed inspicite *Pausaniam* <sup>10)</sup> a *Winckelmanno* inductum, et statim videbis, ab illo scriptore *Palladâ* non eburneam, sed ex auro et ebore factam prædicari. Fuit igitur e numero *χρυσσελεφαντινων ἀγαλμάτων* nec magis huic pertinet quam *Jupiter Olympius* vel *Minerva Virgo Phidiae*, a quo etiam hoc signum factum esse credebatur. Deinde a viro immortalis citatur *Jupiter eboreus*, quem *Plinius* <sup>11)</sup> in quodam delubro *Cyzici* fuisse refert. At scri-

<sup>5)</sup> Etsi accuratius rem persequenti ab *Iliadis* simplicitate distinguenda erit cultior *Odysseae* vita, nos tamen hanc differentiam prætermittere posse videmur, quum ne in *Odyssea* quidem de eboris in artibus usu sermo esse possit. Plura dabit *Krause* in libro qui inscribitur *Real-Encyclopädie der classischen Alterthumswissenschaft*, B. III, S. 81.

<sup>6)</sup> *Scut. Herc.* v. 141. *Gaisf.*

<sup>7)</sup> *Pausan.* V, 17.

<sup>8)</sup> *Winckelmann's Werke*, herausgeg. von *Meyer* und *Schulze*, B. III, S. 30.

<sup>9)</sup> *Cicer.* *Act.* II, in *Verr.* lib. IV, 46.

<sup>10)</sup> *Pausan.* VII, 27.

<sup>11)</sup> *Plin.* *Hist. Nat.* XXXVI, 22.

ptorum Romanorum testimoniis ut paullulum diffidamus de signis eburneis sive eboreis <sup>12)</sup> narrantium, nisi aliud accedat, quod rei fidem faciat, sermonis inconstantia admonere videtur, per quam eburneum vel id vocari licebat, quod ex parte tantum ebore confectum esset; ita enim, ut certissimo id factum probem exemplo, *Cicero* <sup>13)</sup> Athenis Minervae signum ex ebore fecisse Phidiam dicit, quod ex ebore auroque factum inter omnes constat. Non minus incerta res est de Hercule Tiburtino a Winckelmanno in his operibus nominato; nam quod *Propertius* <sup>14)</sup> Tiburis in fano Herculeo numine nunquam ebur pallere cecinit, id etiam tum recte prolatum est, si nihil præter caput aut manus in dei signo ex ebore fuit. Ac vix *Heynius* <sup>15)</sup> Victorias Melitenses admittit supra memoratas, quas ipse nihil nisi cælaturas fuisse suspicatur. In quam tamen sententiam quum errore delapsus sit, quem infra in annotatione nos elevasse nobis videmur, tota *Ciceronis* narratio eo nos impellit, ut cum *Winckelmanno* statuas fuisse putemus. Verum utinam *Heynius*, qui tam incredulum modo se præstitit, minus ipse credulus fuisset! Etenim ille in eadem commentatione, in qua de Victoriis eburneis tulit iudicium, statuas quoque recensuit <sup>16)</sup> ex ebore factas, quas a veteribus scriptoribus laudatos reperisset, similemque recensionem jam olim in alio libro <sup>17)</sup> instituerat. Sed ut omittam, quas ne ipse quidem ex mero ebore fuisse perhibet, „Liberum patrem ore, pedibus et manibus eburneis“ et „Endymionem præter vestem totum (?) ex ebore“, quos *Pausanias* Olympiae viderat <sup>18)</sup>, multum abest, ut ceterae omnes sine ulla dubitatione in eburneorum simulacrorum numero habeantur. Nam Apollinem, qui Romae fuit in foro Augusti <sup>19)</sup>, et Jovem Pasitelis in Metelli aede, qua Campus petebatur <sup>20)</sup>, quum simpliciter eboreos *Plinius* appellet, eadem redit ambiguitas, quam supra in Jove Cyziceno significavimus. Minus fluctuamus animo, quid iudicandum sit de statua equestri, quam imperator Titus Vespasiani f. Britannico in palatio ex ebore faciendam curaverat, quaeque etiam Suetonii ætate Circensi pompa præferabatur <sup>21)</sup>; vix enim

<sup>12)</sup> Posterius adjectivum aurea latinitatis ætate usurpatum esse vix crediderim.

<sup>13)</sup> *Cicer. Brut. c. 73, §. 257.*

<sup>14)</sup> *Propert. IV, 7, 82.*

<sup>15)</sup> *Heyne's antiquar. Aufsätze, II, S. 164.* „Sujets in erhobener Arbeit in Elfenbein ausgeführt; — — — vieles aus Elfenbein, das zur Auszierung diente, und darunter Siegesgöttinnen von einer alten Arbeit und vortrefflichen Kunst.“ Manifestum est, *Heynium* perperam interpretatum esse vocabulum q. e. ornamenta, quo *Cicero* in illo libro passim statuas significat, velut bis c. 3, 6.

<sup>16)</sup> *Pag. 165.*

<sup>17)</sup> *Nov. Commentar. societatis Gotting. tom. 1, part. 2, p. 107.*

<sup>18)</sup> *Pausan. VI, 19.* cujus verbis non tecte significatur, in *Endymione* pariter atque in *Libero* patre præter os et extremos pedes (ἄκρους πόδας) et manus nihil ex ebore fuisse.

<sup>19)</sup> *Plin. VII, 54.*

<sup>20)</sup> *Plin. XXXVI, 4, 12.*

<sup>21)</sup> *Sueton. Tit. c. 2. ex.*



satis mirari possumus, quod vir ceterum præclaro acumine inque hisce rebus non vulgari-  
ter intelligens sustinuit animo informare equum una cum equite purum putum ex ebore fa-  
ctum; cum mica salis, ut ajunt, talia percipienda esse res ipsa clamat. Acumen certe  
etiam desidero in *Krausio* <sup>22)</sup> Viro Doctissimo, qui in templo Jovis Olympiæ statuam regis  
Nicomedis eburneam a Pausania oculis usurpatam narrat. Etenim *Pausanias* <sup>23)</sup> quum duo  
insignia ibi esse simulacra retulerit, τὴν μὲν τοῦ ἠλέκτρον βασιλέως Ῥωμαίων Ἀνγούστου, τὴν  
δὲ τοῦ ἐλέφαντος βασιλέως Νικομήδους εἶναι Βιθυνῶν, aut utriusque omnes partes ex eadem  
materia factas fuisse intelligi necesse est aut neutrius; inauditum vero est statuas apud  
antiquos fieri solitas ex electro: illud dico electrum, quod in Eridani (Padi) arena reperiri  
creditum a Romanis succinum vocabatur <sup>24)</sup>, non metallum auro argentoque confusum.  
Nihil igitur restat, nisi ut putemus, aut εἰκόνας a Pausania non ut vulgo dictas esse sta-  
tuas, sed perexiguas quasdam effigies, nostro sigillo fere consimiles. Quod ut verum exi-  
stimemus, quum Pausaniae religio in definienda materia statuarum, qua Plinio longe ante-  
cellit, tum ipsius Plinii verba quaedam <sup>25)</sup> suadere videntur, quibus id saltem evinci po-  
test, ipsius ætate luxuriam etiam succino ad parva simulacra effingenda usam esse.

Vide jam, mi lector, ex iis, quæ adhuc sunt disputata, quid sequatur. Nimirum  
si verum videre nobis contigit, ad modicum numerum redigitur copia signorum eburneo-  
rum, quæ ex scriptoribus Græcis et Romanis collegisse sibi visi sunt *Winckelmannus* et  
*Heynius* et *Krausius* <sup>26)</sup>. Vix enim simulacra apud veteres invenientur, quæ vere eburnea,  
i. e. nulla alia materia ebore addita aut superimposita <sup>27)</sup> haberi possint, præter ea, quæ  
perspicuitatis causa hic uno in conspectu ponimus. Sunt autem hæc:

1<sup>o</sup> *Aesculapius*, qui a *Strabone* <sup>28)</sup> in vico Arcadiæ fuisse traditur, opus Colotæ,  
Phidiæ discipuli vel (ut dicam, quod sentio) operum adjutoris.

<sup>22)</sup> V. Real-Encyclopädie der Alterthumswissenschaft, B. III, p. 82.

<sup>23)</sup> Pausan. V, 12.

<sup>24)</sup> Succini majorem copiam imperatoris Neronis demum tempore invecam esse Plinius testatur lib. XXXVII.  
11. ex.

<sup>25)</sup> Plin. XXXVII, 12. „Taxatio (succini) in deliciis tanta, ut hominis quamvis parva effigies vivorum homi-  
num vigentiumque pretia superet.“

<sup>26)</sup> Vellem me addere posse nomen *Meuselii*, qui simile propositum persecutus est in libro, quem inscripsit  
Neue Miscellaneen artistischen Inhalts, I. Stück, p. 49—52; sed liber, quo olim usus sum, jam non ad ma-  
num est. Magis etiam doleo, quod carendum erat libro docti Francogalli *Quatremère de Quincy*,  
Le Jupiter Olympien. Quamquam uterque vereor ut multum attulerit novi, quod quidem huc pertineat.

<sup>27)</sup> Calumnie prævertendæ causa monemus, in majoribus signis excipiendum esse nucleum quem vocant,  
quippe qui in omnibus ejusmodi simulacris ex viliori constaret materia: conf. utilisima G. Rathgeberi  
commentatio in Encyclopaediæ literarum et artium ab *Erschio* et *Grubero* institutæ sect. III, tom. III,  
p. 261. ss.

<sup>28)</sup> Strab. lib. VIII, p. 520, B. (tom. II, p. 145. Tauchn.)



2<sup>o</sup> *Venus* cognomine *Praxis*, antiquissimum opus, quod Megaris fuit <sup>29)</sup>, ignoto artifice.

3<sup>o</sup> *Minerva* Alalcomenis, Bœotiæ vico, antiquo opere sed fabricatore pariter incompto, quam Sulla abstulit <sup>30)</sup>.

4<sup>o</sup> *Minerva* Romæ in foro Augusti, quo ab Tegea Arcadiæ translata fuerat; eam Endœus Atheniensis, Dædaleæ disciplinæ alumnus, fabricatus esse dicebatur <sup>31)</sup>.

5<sup>o</sup> *Saturnus* Romæ, quem quis fecerit, ignoratur <sup>32)</sup>.

6<sup>o</sup> *Victoriæ* Melitenses, de quibus supra dictum est.

7<sup>o</sup> *Sigillum Nicomedis Olympiæ*, siquidem vera sunt, quæ paullo ante disputavimus.

Sed ne ex his quidem signis multum lucis in nostrum ornamentum transfunditur; in plurimis enim ne ætatem quidem traditam accepimus, in paucis artificum nomina, atque adeo hæc fabularum caligine involuta; de statuarum compositione, de artificii perfectione altum ubique silentium, nisi quod Plinius Saturnum intus cavum oleo repletum fuisse tradit „ebori vindicando a carie“, in quo sane progressus artis cernitur, quum Phidias ad Jovem Olympium a carie defendendum id solum excogitasset, ut signum oleo perfunderetur <sup>33)</sup>. Nihil igitur ex his concludi potest, nisi satis mature a Græcis artem eborariam excultam et mox opera in hoc genere perfecta esse, quæ etiam cultioris posteritatis iudicio commendarentur; denique eo tempore, quo Græcæ res sub imperium dictionemque Populi Romani cesserunt, artem etiam ad minuta opera, quibus si non alia, certe patientiæ et assiduitatis laus debetur, traductam videri. In quo quid præstitum sit, documento est Myrmecides, minorum opusculorum fabricator <sup>34)</sup>, qui quadrigas ex ebore fecit, quæ sub musca possent abscondi, et navem, quam apicula alis tegetet. Sed ista jocularia sunt neque admodum ad propositum nostrum perlinent. Interim, ne justo audaciores in conjectando esse videamur, aliqua veri similitudine ex his efficitur, ut non sit probabile, nostrum sigillum ante illud tempus factum esse.

<sup>29)</sup> Pausan. I, 43.

<sup>30)</sup> Pausan. IX, 43.

<sup>31)</sup> Pausan. VIII, 46. De Endoei ætate dubitatum est, quia non est credibile artem eborariam tam mature ad hanc perfectionem adductam esse; sed injuria, ni fallor. Rectius dubitabis, num vere ad Endoeum signi fabricatio referatur; quis enim ignorat istam Græcorum levitatem, qua quidquid ubique antiquissimum esset, popularibus fama claris tribuere solebant? Hinc tot Daedali opera (v. Real-Encyclop. der Alterthumsw. B. II, p. 389, s.), hinc Endoeus quoque contra omnem veri similitudinem Minervæ Tegeatidis fictor dictus.

<sup>32)</sup> Plin. XV, 7. Sed ex artificio olei infusi, quod a Plinio commemoratur, non inepte conjicias, eum utique post Jovem Olympium factum esse, ut mox dicetur.

<sup>33)</sup> Pausan. V, 11. ex.

<sup>34)</sup> Cicero Acad. II, 38. Varr. de L. L. VI, in. Aelian. Var. Hist. I, 17. Plin. VII, 21. De Myrmecide disputasse Boeckhium in Corp. Inscr. I, p. 873. Bernhardt me docuit ad Suid. vol. II, p. 915. Ceterum nusquam Plinius majus edidit documentum levitatis suæ quam in hoc; nam eadem, quæ h. l. eburnea recte dicuntur, lib. XXXVI, 4, 15. parva marmorea fuisse dixit.

Quid ergo? In his acquiescemus? Immo vero, si me sequeris, a scriptorum facundia nos convertemus ad mutos illos antiquitatis testes, opera dico eburnea, quæ ad nostram ætatem perdurarunt, si forte ex iis aliquid, quod plura nos doceat, elicere possimus. At vero hic nonnullos subridentes videre mihi videor et dubitationem suam vix tegentes. Nec mirum! Quid enim facerent, qui ab *Heynio* <sup>35)</sup> sese edoceri passi sunt, „nullam majoris fabricæ ebur ætatem tulisse; vix unum et alterum sigillum eburneum servatum ferri, nec tamen id ipsum ab intelligente quoquam homine exploratum unquam esse“? quum præsertim tam probabilem ejus rei causam afferat: „solet enim, inquit, ebur aëris vel humoris injuria dissolvi et in scobem tritu facilem, putrem et quasi bolarem abire.“ Ac ne crederes, ipsum unquam hujus effati pœnituisse, multis annis post se in eadem sententia esse significavit addiditque, „in eruendis Herculani ruinis nullum ad id tempus majoris ponderis ebur repertum esse; nihil nisi tibias, fibulas, amuleta, similia“ <sup>36)</sup>. Quod quam vere dictum sit, equidem in hac librorum ac subsidiorum penuria dijudicare non possum. Sed cautius aliquanto statuere video *Winckelmannum* <sup>37)</sup>, qui: „statuarum, inquit, eburnearum in tanta rerum ex tenebris protractarum copia nullum vestigium apparuit præter parva signa nonnulla, quia ebur humo tectum maceratur.“ Nec, hercule, aliter poterat, si sibi constare vellet. Ipse enim <sup>38)</sup> velut rem præclaram extollit minutam effigiem pueri ex ebore factam, palmi magnitudine, totam olim inauratam, quam in cimelio Hamiltoni, legati Magnæ Britanniae regis, Neapoli fuisse narrat. Quo accedit alterum sigillum, quod *Winckelmanni* Editores <sup>39)</sup> addendum esse censuerunt; nam in thesauro æneorum aliorumque monumentorum minorum, quæ ex antiquitate servata juxta pinacothecam Florentinam custodiantur, simulacrum quinque vel sex pollicum altitudine inveniri ajunt eburneum Pygmæi, qui gruem occisam humero gestet, præclaro opere, inprimisque ridiculum quiddam singulari arte expressum placere in suavissimo sigillo. Quid? quod ipse *Heynius*, non dico similia, sed etiam majorum artis antiquæ operum vestigia ad nostra tempora conservata esse contendit. Quod sane mireris in eo, qui ebur tandiu posse conservari probabile non esse judicaverit. Quamquam si admirationi ullus locus est, id potius mirum videtur, tale quid in mentem venisse viro, cui esset perspectum, tibias certe et fibulas aliasque res eburneas ætatem tulisse; quod enim in ejusmodi rebus factum est, cur in signis, præsertim minoribus, fa-

<sup>35)</sup> Nov. Commentar. societ. Gotting. tom. 1, part. 2, pag. 115.

<sup>36)</sup> Antiquar. Aufsätze, II, S. 167.

<sup>37)</sup> W. Werke h. v. Schulze u. Meyer, B. III, S. 31. Medium quasi inter hos cursum tenet Rathgeber (Encycl. d. W. u. K. von Ersch und Gruber, Sect. III, B. 3, p. 260. Anm.); dicit enim, opera in hoc genere, quæ exstant, pleraque posterioris ætatis et parvi pretii esse, quod ebur solo obrutum putrescat et dissolvatur.

<sup>38)</sup> W. Werke, I. I.

<sup>39)</sup> W. Werke, B. III, S. 288, Anm. 125.

ctum esse non poterit? Sed ut redeat oratio, unde deflexa est, *Heynius* <sup>40)</sup> summis laudibus effert eburneum caput muliebre ad dodrantem vivæ magnitudinis ex uno dente fabricatum, quod Hafniæ ostendatur in museo regio et Argivæ Helenæ esse perhibeatur. Verum obstinatæ dubitationis quasi poenas luens vir eximius ad saniolem reversurus sententiam hic fortunæ ludibrio fuisse videtur; hodie enim ab earum rerum intelligentibus illud caput antiquum esse prorsus negatur <sup>41)</sup>. Ac ne Heynio soli laus ejusmodi inventi contingeret, etiam *Meuselius* <sup>42)</sup> nescio unde famam arripuit, apud Belgas haud procul a Cattovico ad Rheni ostium, quo loco vetustum illud Britoburgum situm ferunt, virile caput barbaturum eleganti opere, stellata cinctum corona repertum esse, quod ipse Rheni patris fuisse suspicatur. Cujus rei fides penes ipsum esto. Nos quidem nunc de istius fabulæ fontibus inquirere non juvat, sed satis habemus ex *Winckelmanno* ejusque Editoribus, testibus locupletissimis, didicisse, non solum artifices veteres signa nostro similia fabricatos esse, verum etiam superesse illius artis monumenta nequaquam spernenda <sup>43)</sup>. Utinam viris ornatissimis placuisset ad cetera bona etiam hoc addere, ut significarent, quid sibi de ætate operum illorum videretur. Quod quum non sit factum, videndum est, possitne ex ipsius sigilli nostri habitu ratio aliqua indagari, qua ad ætatem ejus definiendam adducamur.

Non veremur, ne lectoribus eruditis plus æquo in hac disputatione *Winckelmanni* nomen frequentare videamur. Nam quis huic ingenio, doctrina, judicio inter omnes par esse potest? quis hunc nominis auctoritate, scriptorum laude, summorum ingeniorum veneratione <sup>44)</sup> superavit? quis unquam per artis veteris labyrinthos ducem tam fidum, sollertem, omnibus rebus instructum se præstitit? Quem si nos quoque in dignoscendis variarum ætatum operibus sequemur, hominibus doctis consilium nostrum plane probatum iri speramus. Contendit igitur vir præstantissimus <sup>45)</sup>, ad dissimilitudines operum dijudicandas et ad definienda tempora, ex quibus monumenta originem ceperint, vix quidquam majoris esse momenti quam capilli fabricam. Deinde, postquam Græcorum in hoc genere simplicitatem persecutus est, ad hunc modum pergit: brevi post primos Imperatores calamistratam comam in consuetudinem venisse artificesque operam dedisse, ut illam insigni diligen-

<sup>40)</sup> Antiquar. Aufsätze, II, S. 168. ss. Meusel Neue Miscell. art. Inh. I, S. 48. s.

<sup>41)</sup> Rathgeber Encyclopaedie Erschio-Gruberianæ I. I. conferri jubet librum Ramdohrii, qui inscriptus est Studien über Dänemark, Th. I, S. 145.

<sup>42)</sup> Neue Miscell. art. Inh. I. I.

<sup>43)</sup> Ut funditus tolleretur omnis dubitatio, possetne ebur tamdiu sub terra humori et putredini resistere, fors tulit, ut nuperrime etiam in sepulcro Romano in vicinia pagi Weyden prope Coloniam Agrippinam detecto præter alia decora atque ornamenta invenirentur nonnulla anaglypha eburnea: vid. Ulrichs in Jahrb. d. Vereins v. Alterth. im Rheint. III, S. 145, s.

<sup>44)</sup> Instar omnium erit Goethius: Winckelmann u. sein Jahrh. Oppt. t. XXXVII.

<sup>45)</sup> W. Werke v. Meyer u. Schulze, B. IV, S. 413. s.



tia exprimerent. Tum M. Aurelio et L. Vero imperatoribus apparuisse artificium pæne infiniti laboris, quo in innumerabilibus et capilli et barbæ cincinnulis singulos pilos imitarentur, eumque morem durasse, dum paullo post tempora Septimii Severi et Caracallæ cum omni artificii genere etiam assiduitas in elaborando intercideret. Hæc Winckelmannus. Quæ quoties lego, facere non possum, quin existimem, scriptori ante oculos versatam esse speciem prorsus similem nostro sigillo. In quo etsi omnia singulari diligentia sunt elaborata, nihil tamen artificii majori curæ fuisse videtur, quam ut capillos et præcipue barbulam in homine majore, quam accuratissime fieri posset, usque ad singulas cincinnorum fibrillas exprimeret. Itaque quoad Winckelmanno fides est habenda, dubium esse non potest, fabricatorem signi illo tempore vixisse, quod inter M. Aurelii et Caracallæ imperia intercedebat.

At hic disputationis exitus, quamquam longe superat spem, quam initio conceperam, tamen multum abest ut animi desiderium expleat; semper enim redit quæstio, unde venerit sigillum, quod solum illud nasci viderit. Verum hic in circumfusus tenebris nullum usquam lumen accenditur; vix parva scintilla exsplendescit, satis valida ad alliciendum viatorem incertum, sed hebetior quam quæ iter collustret. Sed quidquid est, dicam illud, quid sit. Nuper enim, quum Welckerum V. Cl. Bonnæ adissem nosque una cum Schopenio, viro quum doctrina (quod omnes sciunt) tum morum comitate (quam familiares in eo norunt et unice diligunt) insigni, sigillum meum eburneum contemplantur, subito cubiculum intrat juvenis Græcus, Athenis natus, qui Bonnæ jam per biennium literis operam dabat et ab utroque professore, ni fallor, Phrearrhytes appellabatur. Hic igitur, quid agitaremus, edoctus simulacrum in manus sumpsit et vix conspicatus exclamavit: „eia, quanta oris similitudo cum illo hominum genere, quod Neapoli molem implet mari oppositam!“ Quibus auditis Welckerus denuo considerat opusculum et idem sibi videri prædicat; mirifice enim lineamenta referre vultus incolarum illius urbis, multum autem abluere a formis Græcarum statuarum, quas ipse cognoverit. Quid igitur tu judicas, mi lector? Nam te in hujus consilii societatem venire fas est. Nonne tibi satis probabilis videtur conjectura, simulacrum in Italia et fortasse in opulentis illis Campaniæ oppidis factum esse? Sed verendum est, ne nimis jam conjectandi libidini indulsisse tibi videamur. Quare quæstionem de artifice operis attingere supersedeo.

### III.

Facile etiam paterer, me supersedere posse quæstione, quid hoc opere effingendum et quodammodo representandum artifex sibi proposuerit, nisi hanc officii partem deseruisse potius quam reliquisse viderer. Neminem enim fugit, quam lubrica sit res, veterum signis nomina imponere. Qua in re quum vel eruditissimos quotidie errare videamus, quid ego de



me sperare possum? Sed quoniam ab hac suscepti muneris parte omnino me subtrahere nec possum nec debeo, faciam, quod potero. Id tamen lectorem monitum velim, ne ea quidem, quæ propositurus sum, me pro meis venditare, sed pleraque Welckeri V. Cl. humanitati atque benevolentiae accepta referre.

Opera autem ejusmodi, in quibus homines vulnerati ex proelio tolluntur, etsi in gemmis non admodum raro inveniuntur, statuariorum antiquorum animos minus ad se convertisse videntur. Nec tamen omnino desunt exempla; etiam vasa picta hoc genus aliqua exhibent. E quibus quæ mihi innotuerunt, ea ego ita proponam, ut simul appareat, quomodo in his effingendis ars a rudibus initiis ad altiores perfectionis gradus progressa sit.

Simplicissima igitur ejusmodi pictura est in vase Caninensi in museum Britannicum illato, in qua alati juvenes duo, galeis, loricis, ocreis et gladiis ornati, quos Ventos esse dicunt, nudum corpus viri ingenti magnitudine, qui Memnon esse putatur, tollere et auferre conantur <sup>46)</sup>. Hic quum omnem motum intra *conatum* auferendi consistere videamus, longius progreditur quoddam veteris statuariae monumentum a *Viscontio* <sup>47)</sup> evulgatum, in quo Menelaus Patroclum vel (quæ Welckeri sententia est) Ajax Achillem occisum asportat; nam brachiis sublato ille per terram trahit. De duobus vasis, in quibus idem argumentum exhibetur, nihil dico, quod nullum jam subsidium mihi in promptu est præter Welckeri explicationem <sup>48)</sup>, in qua vir sagacissimus non id agebat, ut dispositionis artificium exponeret. Tertium vero ejusdem generis monumentum cognovimus a Raoul-Rochette Parisiensi doctissimo editum, sed a Welckero demum recte explicatum <sup>49)</sup>, in quo humeris ab Hectore gestatur Troilus occisus, sed ita, ut corpus exanime per gestantis tergum dependeat. Atque idem argumentum, si quid video, sibi proposuit, quisquis est, qui nostrum sigillum fecit; sed sollertius hoc ejus commentum est, quod Troilum non mortuum, sed graviter vulneratum finxit: inde enim vividior in utraque effigie motus existit, et dispositioni singularis quaedam gratia conciliatur <sup>50)</sup>.

Vides igitur, mi lector, non solum a materia sigillum nostrum commendari, sed etiam

---

<sup>46)</sup> V. Otto Jahn in Zeitschr. für Alterthumswiss. 1844, fasc. III, p. 244.

<sup>47)</sup> Locum in adversariis meis notatum non reperio.

<sup>48)</sup> Rhein. Museum f. Philol. III. Jahrg. 4 Heft, S. 619.

<sup>49)</sup> l. l. p. 626. ss.

<sup>50)</sup> Commodum hæc scribenti afferuntur gratissimæ Welckeri literæ, per quas ignotum adhuc similis argumenti opus in commentariis suis notatum sese invenisse nuntiât. Namque in inferioribus Vaticani conclavibus, in quibus multa custodiantur opera marmorea nondum explorata, se vidisse quoddam modica amplitudine simulacrum viri galeati, ceterum nudi, qui corpus interfecti pariter nudum, præclara totius operis dispositione, præ se ferret.

artis majorem in modum exultae gradum in illo cerni. Quare spero fore, ut te non pœniteat in eo cognoscendo nonnullam opêram collocasse nec refugientem itineris molestias te comitem mihi praeuisse. Vale.

